10
56
34-6-E-7-


ARA PIETATIS
In Pauperum Aſylum poſita.

ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
Habita in eiuſdem Templo

AD EMINENTISSIMOS
S. R. E. CARDINALES

A DOMINICO GRATIANO MARINENSI
Sem. Rom. Clerico.

Bibl: Soc. Coll. Rom: Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

1.0

ROMAE, Typis Mauritij Balmontij. M.DC.LVI.

Digitized by Google

EMIN.MO AC REVEREND.MO
PRINCIPI
IACOBO
CORRADO
S. R. E.
CARD. AMPLISSIMO.

DOMINICVS GRATIANVS F.

AD Purpurata tua auſpicia. PRINCEPS EMINENTISSIME, Seſe iam IVO conuertit, qui purpuram nullam admiſit olim ad ſua ſolius Paupertatis Patronus; Vultque debere Tibi, quod in nouam lucem emittitur, qui ſibi tantum debere voluit, quod lateret. In illo vtique tanquam

Digitized by Google

in ſpeculo Teipſum agnoſces, ni Teipſum negas, qui ſingularem eius pietatem in Pauperes, & in omnes iuſtitiam in Te ſic expreſſiſti, vt ab eo diſtingui non facilè poſſes, niſi conſtaret, & illum cælis redditum, & Te in terris ſupereſſe. Mutua hæc vtriuſque in virtute conſenſio, vt admirationem alijs, mihi certè facit vnum timorem, ne laudes Iuonis remiſſiori pretio habeas, quia pari iure Tibi debitas vides, neue ſis in illo æſtimando moderatior, quia in æſtimando Teipſo nimis parcus. Faciet tamen, vt ſpero, Æquitas Tua, quę ius cuique ſuum fideliter attribuit, ne hac in parte modeſtiæ nimis indulgeas, nèue Tibi vileſcant, quæ IVONIANA ſunt, quia eadem ſunt Tua; Imò libenter feres IVONEM mutare primi muneris partes, vt qui ſeſe in ARAM pro Paupertatis Aſylo dedicauerat, Tibi iam vltrò conſecretur in perpetuum deuoti mei erga te animi monumentum. Viue, & Faue.

ORA-

ORATIO.

NOVVM exhibeo hodierna die humanæ Pietatis Prodigium PP. Eminentiſſimi, dignum quod ſuſpiciant Populi vniuerſi, & in concionem omnium mortalium mittatur; Aram videlicet Tutelarem non ad ſalutem transfugarum excitatam, aut ignoto ſacratam Deo, ſed ſoli Paupertati dicatam, poſitamq. in egenorum Aſylum: Iuonem dico, qui in agendis dumtaxat Pauperum cauſis omnem linguę ſuę facundiam incumbere voluit, & vel hoc nomine inuidendam reddere Paupertatem; quę ſola vteretur Patrocinio, in quo Iuſtitia ipſa Iuonis ſpecie perſonata luculenter peroraret, & litigandi neceſſitatem, quæ communi ſorte Pauperes, & Diuites premit, ſua aduocatione conſolaretur. Fatale ſiquidem eſt (Auditores) toti huic rerum Vniuerſitati non minùs, quam corpori humano altercantium qualitatum agitari diſſidio, mutuoque fortunarum concurſu, & perpetua conflictatione diſcindere fęlicitatem ſuam; dum nempè alijs fortunæ tenuitas, ambitio alijs, alijs mutuę Pacis faſtidium ſortis impatientiam ingerit, nouaque ſemper contentionum ſęmina exſuſcitat. Hoc verò ſupra cætera contingit acerbiùs, quòd in opulentorum prçſidium Patroni paſſim obuij, & prçcipites euolant, ad eas videlicet partes tuendas, quas non ſolo Iure, ſed potiſſimum auro firmatas vident:

dent: dum intereà egeni, vt penuriam Auri ſic, & Patrocinij ſubſtinent, nec ad tutelam ſui auxiliares prouocant manus, quia ſine munere dimittendas, & relinquendas inanes. In tàm afflicta Pauperum conditione vnus deſiderabaris (Beatiſſime Iuo) qui exemplum in foro poneres omnium ſeculorum memorię commendandum. Querebaris, vnus, qui facundiam tuam communibus votis inuocatam in Pauperum aduocationem impenderes, ſolemque imitatus in cœteris, eſſes hoc vno diuerſus, quod dum ille Auro, & luto æqualem lucis beneficentiam impertitur, Tu luto ſoli, hoc eſt Plebi abiectiſſimè patrocinantis linguæ pręſidia indulgeres.

Pungebaris enimuerò, grauiterquè ferebas, quod Natura fuiſſet Pauperibus illiberalis, & nimia in eos tenacitate Matre in nouercam tranſiſſet. Dolebas ipſos ſpoliatos omnibus, aqua penè, & igni prohibitos fuiſſe nullius licet delicti, quàm infelicitatis reos. Ergone miſeri cœtera paſſi plus quam auara, auaram etiam linguam experirentur, & inter reliqua ſua mala ſilentium etiam annumerarent? ergò ne ad ſuas partes tuendas nequidem voces inuenirent, quàm quam mirabili vbertate fęcundas, & fontium inſtar perennium ſemper ſibi ſuperſtites ſemper inexhauſtas? ergo deſtituerentur huiuſmodi pręſidio, quod cum datur, habetur. Et contrà aliorum munerum ſortem prodigè effundi poteſt abſque decremento fortunæ, & in alienum lucrum impendi abſque proprio damno?

Dedit certè verba, & vbertim dedit clementiſſimus Iuo, non illa inania, ſparſaque temerè; ſed quę vigilias, inter, & labores in mente cōcepta, at operosè educata in pauperum opem prodierunt. grandis profectò largitio, tantoque præſtabilior, quanto munificentius eſt ingenium, & ſeipſum quàm Aurum, quam Patrimonium erogare. Verba dedit non ſterilia, & Aeri pulſando ſolum idonea, ſed fęcunda, & quoad homini (fas eſt) imitantia vim creatricem Diuinorum Verborum.

Illa

Illa totum hunc Orbem propria mole ſuſpenſum librauere; iſta facultates humanos ad Trutinam vocatas æquali lance ponderarunt. Illa proprias ſingulis elementis diſtinxere ſedes, & ſtationes: iſta in Iure diſtribuendo ſuum cuique locum, & ordinem adſcripſere. Illa temporum viciſſitudines iam albo, iam nigro calculo, hoc eſt die, nocteque notarunt, iſta eadem calculorum diuerſitate, litium momenta alternauere. Illa Vniuerſitatis molem, tanquam Aram ingentem excitarunt, in quo Orbis totus in conditoris laudem conſumeret ſeſe: iſta Paupertati Aram poſuere, ſuprà quam Iuo inopum patrocinium, non victimas; hoc eſt miſericordiam non ſacrificium vellet. Intelligebat ſiquidem ſacer Orator indecorum ſibi non eſſe imitari adminiſtros Spiritus humanę Tutelę demandatos quibus non minus promptum eſt accedere ad Cuſtodiam mendiculorum, quam trabeatis Clientibus patrocinari, & ſub vili Tugurio ſtipare inopum latus, quam ad Regia puluinaria inuigilare. exiſtimabat nequaquam roſtra ſordere, in quibus neque Cæſares magni, neque grandia nomina reſonant, aut vileſcere linguam, quæ ſpecioſos magnatum titulos non oſtentat, ſed obſcuris tantum litibus humiliter famulatur.

Quid? dicere audeo Iuonem maius quiddam in Paupere, quam Pauperem ſuſpexiſſe, Chriſtoque in egenis occultato, & pro mortalibus aduocanti voluiſſe rependere aduocationem. Nempè qui in propria natura Ius omne ſuum certum, & liquidum habebat Deus, voluit habere in aliena litigioſum, vt ageret Clientem in imagine, qui erat in propria forma Patronus Voluit, vt Orbi forenſi non minus, quam Cæleſti geminum luminare ſuppeteret, maius, & minus & in exemplum vocaretur par grãde Aduocatorũ, Chriſtus, & Iuo. Ille ad agendas miſerorum cauſas Crucem conſcenderet: iſte in Pauperum gratiam nunquam roſtra dedignaretur. Ille manus, & pedes, ipſumque latus in perpetuam peccatorum aduocationem aperiret: iſte quamdiù

Digitized by Google

diù inopum cauſas periclitari videret, ora nunquam vellet occluſa. ille facundà vulnerum oſtenſione Patris Iuſtitiam flecteret: iſte cruenta fortunæ vulnera, Paupertatem nempe ipſam ad mouendos Iudices oſtentaret; iamque verbis, iamquè lacrymis perorans vices referret ſanguini Numinis patrocinanti. Sic eſt omnino, ſic eſt, fuit Iuo vocale Aſylum, & pauperum, & Dei. fuit Ara propitiandis hominibus poſita (Ara, vt Poeta cecinit) nulli conceſſa potentum, quam miſeri fecere ſacram, Ara noſtris Altaribus digna, quam ſi debito cultu proſequi velis, ei pro votiuo Anathemate ſacrę Eloquentię ſymbolum Cor, & linguam appende.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google